



DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

33 790.

De

1642, 4.

EO QUOD IN-
TEREST.

QVAM

TRIUNO DEO PRÆSIDE

Ex decreto & Auctoritate

NOBILISSIMI ATQUE AMPLISSIMI
Iurum Ordinis, in celeberrima Argentoratensi
Universitate.

PRO SUMMO IN UTROQUE JURE GRADU DOCTO-
RATUS ritè consequendo

Publico atque solenni examini exponit.
die Mens. Julij: horis locog, solitis.

HENRICUS Rosbecher /
Spirâ Nemes.



ARGENTORATI

Typis JOANNIS PHILIPPI MÜLBII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M DC XLII.



V I R O S
G E N E R O S A N O B I L I T A T E ,
M A G N I F I C A Q U E A M P L I T U -
d i n e I l l u s t r e s .

D N . A B R A H A M U M à S c h l e i n i t z .
D N . G E O R G I U M F R I D E R I C U M M o h r .
J C t o s g r a v i s s i m o s , s u p r e m i I m p e r i a l i s
C a m e r æ d i c a s t e r i i , q u o d S p i r æ e s t , A d -
f e s s o r e s e m i n e n t i s s i m o s

Hujus Inauguralis exercitiij inscriptione

*Mæcenates atque Patronos maximos
sibi exoptat, ac submissè veneratur
tantorum Virorum Observan-
tissimus Cliens*

Henricus Rosbecher
Spirensis.



I. N. D. N. I. C.

P R Æ F A T I O.



Um ea quæ quotidiana sunt, quorumque
 usus frequens, plenius sint attingenda. *l. 25.
 de liberat. leg.* perperam me fecisse non pu-
 to, quòd hanc materiam, de eo quod interest,
 ut aliàs difficillimam ac intricatissimam, te-
 ste Casparo Caballin *tract. de eo quod interest,*
 item Forcatulo *dial. 41. ubi ait.* veteres Jctos, si reviviscerēt,
 non magis sanctionem *l. un. C. de sent. qua pro eo quod interest,*
profer. intellectuuros fore, quam Sphingem Thebanam; ac
 eò minùs à Dd. controversiis, & altercationibus, adhuc ho-
 diè ut olim, de quo Imper. Justin. *in d. l. un.* conqueritur,
 immunem, ita in usu fori & praxi quotidiana frequentissi-
 mam, pro themate inaugurali tractandam susceperim: nisi
 quòd hoc mihi imputari posse facilè credam: Neminem
 tale negotium facile affectare debere, cui perficiendo parum
 sit idoneus. *l. 8. §. 1. ad L. Aquil.* ingenuè enim fateor, hujus
 materiæ difficultatem, ingenii ac judicii mei vires longè
 superare, sed cum in magnis & voluisse sat sit, sufficiatque
 ad suum modum diligentem fuisse. *arg. l. 32. ff. depos.* nec
 non animus humanus in veritatis inquisitione (quam &
 hic è tam multis variisque Dd. opinionibus, quantum per
 imbecillitatem humanam licuerit, eruere animus est) sæ-
 pius hallucinetur imò sæpissimè erret, quod & multis præ-
 me viris Doctis contigisse palàm est, ideoque etiam mihi
 faciliùs veniam à benigno lectore pro æquanimitate ejus
 spondeo, si minùs perpolitè omnia elimavero, vel etiam
 opinionem aliquam Juris nostri principiis parum conso-
 nantem, è tam multis diversisque Dd. sententiis, quarum tot

ferè inveniuntur, quot in hanc materiam commentati sunt, secutus fuero, neque enim pudebit errorem si de aliquo monitus fuero, corrigere, atque exemplo sacratissimi Imperatoris nostri Justiniani: *Nov. 22. in fin p̄fat.* in melius emendare: DEUM ter. opt. Max. ardentissimis precibus, manibus ad cœlum erectis obtestans, ut divino spiritus S. afflatu, hunc conatum meum dirigere, atque juvare clementer velit.

THESIS I.

Primam curam in hac tractatione, vocabuli Interesse explanationi tribuere placuit, ne ea neglectâ in ipsa rerum tractatione, quod plerumque evenire solet, oppido erremus: versatur autem ea in ipsius vocabuli Etymologia, ejusdemque vocis Homonymia, ac Synonymia. Illam quod attinet, dicitur Interesse, quasi in re esse, sc. meâ, tua &c. h. e. expedire mihi, tibi, Reipublica.

l. 1. ff. solut. matrim. l. 16. ff. de appell. Donell. 16. comment. cap. 14. quamvis autem illud vocabulum apud Latinos authores substantivè usurpatum non legimus Æmil. Ferret. ad l. un. n. 1. C. de sent. quæ pro eo quod interest profer. quod enim attinet l. 82. in fin pr. de leg. 2. in Haloandri & Florentini INTERUSURIUM legimus: tamen non video quid impediât, quo minus hâc voce more Græcorum eodè modo, quo vulgè Dd. uti possimus exemplo illius Persii. SCIRE TUUM, VIVERE MEUM, ut illud quod interest, uno vocabulo INTERESSE exprimamus. Coras. 1. miscell. 20.

II.

Homonymia vocis quæ multos errores, tanquam eorum fecundissima genetrix, hac in materia apud Dd. peperit, nunc evolventa venit sumitur autem Interesse quatenus aliquam utilitatem (a) seu privatum commodum pecuniarium, in jure denotat, dupliciter: uno modo largè & generaliter ut omnem utilitatem sive principalem sive accessoriam significet (b) altero modo stricte, ut tantum significet utilitatem accessoriam
circa

circa rem petitam consistentem (c) qua nostra nunc est consideratio.

(a) Pro qua in Jure frequentius sumitur: reliquæ enim significationes, quando videlicet Interesse significat idem quod differre. l. 21. § 1. ff. quando dies legat. referre. l. 11. §. fin. de act. empt. huc omninò non pertinent.

(b.) i. e. damnum cum ipsa re petita, quâ significatione includit etiam ipsius rei principalis æstimationem. l. 9. de relig. l. 15. §. 7. quod vi aut clam. l. ult. de eo per quem factum. l. 5. §. 1. de præscript. verb. l. 13. de re judic. l. 30. §. 1. de act. empti. vel etiam aliquando si nihil amplius interfit, ad solam rei principalis æstimationem refertur. l. 80. §. 1. ff. de furt. quam Jcti interdum expresserunt verbis. QUANTI EA RES EST l. fin. si quis in jus vocat. non ierit. junctâ l. 2. §. fin. qui satisfacere cog. quibus verbis ipsius rei æstimatio, ab interesse in specie sumpto distinguitur. l. 179. l. 139. de V. S. l. un. §. ult. si quis jus dicenti non obtemperaverit. l. 8. §. ultim. ad exhib. iis videlicet casibus, quando nudum aliquod & solum corpus vel quantitas petitur: si autem eâ actione agitur, in quam & privata actoris utilitas venit, ut puta jus actionis, litis, vel universi alicujus, eadem verba, omne illud quod Interest significant. l. 68. de R. V. l. 1. §. 5. ne vis fiat ei. l. pen. §. ult. uti possid. l. ult. de stipul. præ. l. 28. de damno infect. Donell. 26. comment. 15. lit. c. Gædd. ad l. 179. de V. S. C. A. de re judic. th. 13. n. 4.

(c.) à re ipsa principali, vel ejus æstimatione distinctam, cum videlicet rei principalis separata habetur ratio, & id quod interest seorsim æstimatur. l. 1. §. 20. tutel. & ration. distrabend. l. 50. pr. de furt. l. 60. & 70. de evict.

III.

Evolutâ vocis hujus ambiguitate ejusdem vocabuli in specifica significatione sumpti (remotis reliquis significationibus velut ab instituto & proposito meo alienis:) Synonyma notanda sunt: in ea autem significatione plerumq; utilitas (a.) interdum usura (b.) aliquando verò pœna (c.) non rarò etiam quanti ea res est (d.) denique etiam pecunia vocatur.

(a.) quæ etiam interdum vocabulo Damni exprimitur, damnum enim denotat omnem impeditam & præreptam utilitatem. l. 2. §. 11. ne quid in loco publico. l. 81. de V. S. ubi Gædd. n. 2. l. 11. §.

ult. l. 21. §. 3. de act. empt. l. 9. §. ult. ad exhibend. l. 2. pr. de eo quod cert. loc.
l. 1. §. 41. de vi & vi arm. l. 22. pr. ad L. Aquil.

(b.) l. 60. pro soc Borch. de V. O. c. 7. n. 175. cum seq.

(c.) l. ult. de eo quod cert. loc. pœna dicitur idèd, quia moræ
quædam est coercitio, quemadmodum & delicti pœnam, coërcitio-
nem dicimus: Borch. d. loc. nu. 144. & ultra illam rem petitam venit,
accuratè tamen à reliquis pœnis tam legalibus quam conventio-
nalibus, quæ interdum loco ejus quod interest stipulantur. §. fin.
Inst. de V. O. distinguenda est.

(d.) Quoties sc. eâ actione agitur in quam privata actoris
utilitas venit, per textus th. preced. lit. b. in fin. allegatos.

(e.) l. 72. pr. de V. O. l. 13. §. 1. de Re Judic. quia id ipsum quod
consequi debuimus, nobis non præstatur: sed pro eo pecunia quan-
ti id fuerit æstimatum. Donell. 26. comm. c. 14. lit. b.

IV.

Nunc ad ipsius rei definitionem pergo: quæ multipliciter
à Dd. traditur (a) è quibus tamen magis illa arridet, quam
Doctissimus Cujacius in ω . de sent. quæ pro eo quod inter-
est profer. ultimo loco posuit: Interesse est utilitas (b) justa
(c.) circa rem de qua agitur consistens, quam haberemus si
damnum non dedisset, aut lucrum non interceptisset (c.) no-
bis adversarius.

(a.) Alii enim illud definiunt lucrum cessans & damnum
emergens. Bart. ad l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest profer. ubi
etiam Accurs. Cujac. quam definitionem adversus alios tuetur Gædd.
ad d. l. 81. num 4. de V. S.

(b.) Dico esse utilitatem, quia passim in jure ita vocatur
per ll. supra th. 3. adductas, quod verbum & damnum & lucrum in
se continet, utilitas enim amissa, nihil aliud quam damnum est,
idem quod lucrum interceptum, quæ vocabula interdum promi-
scuè relatione ad se invicem usurpantur. l. 81. de V. S. ibi DAMNUM
DATUM, & verbis seqq. OMNIS UTILITAS ubi la-
tius Gædd.

(c.) Justam dico, seu debitam, ad excludendam injustam
ac indebitam, variis machinationibus & immodicis perversioni-
bus excogitatam utilitatem, quam quis propter solam interdum
rei

rei affectionem consequi laborat, quæ hîc loci attendi nequaquam debet. *sepè d. l. un. sed ejus solum utilitatis, quæ ex justa & honesta causa proficiscitur, ratio habetur. l. ii. ff. de furt. Caballin. tract. de eo quod interest. num. 8.* itemque de ea utilitate, quæ vera certa & explorata est intelligendum, non autem de incerta utilitatis opinione, quæ in fortuna & incerto rerum futurarum eventu posita est. *Hottoman. in tractatione alytica de eo quod Interest §. verum hæc quidem.*

(d.) Tam lucrum quàm damnum in Interesse spectandum esse, differtis verbis exprimitur: *in l. 13. rem ratam haberi. l. un. in fin. C. de sent. quæ pro eo quod interest. & hoc ferè modo etiam Interesse definit. Bocer. cl. 6. d. 29. §. 6. C. A. de re jud. §. 13. n. 6. Cujac. d. loc.*

V.

Dividunt Dd. communiter Interesse in Commune conventum, & singulare (a.) alij in extrinsecum & intrinsecum (b.) alij unicum illud statuunt (c.) Nos duas tantum hæc veras species Interesse propriè dicti agnoscimus, aliud nempe damni emergentis, aliud lucri cessantis. (d.)

(a.) De hac divisione acerrima est veterum Juristorum & Neotericorum Dd. contentio, in singulorum enim divisionis membrorum descriptione variè dissentiunt: ut ex *Cyn. ad l. nn. C. de sent. quæ pro eo quod int. profer. nu. 9.* apparet communiter tamen eò itum est, ut INTERESSE COMMUNE dicant, quod communiter: i. e. communi hominum judicio æstimatur: CONVENTUM quod ex ipsa partium conventionem æstimatur: SINGULARE vocant, quod ex privata cujusq; affectione, non attento communi valore æstimatur. *Sneid. ad §. fin. Inst. de V. O.* Hoc rursum duplex faciunt affectionis tantum & affectionis cum utilitate: illius exempla ponunt *in l. 35 ff. de Minor. l. 36. de bon. libert. l. 54. Mand. l. 7. de serv. export.* hujus verò exempla ponunt in Codice in quibus notas & apostillos multos scripserit, vel etiam fundo vicino, in quo fons est, ex quo possunt irrigari prædia adjacentia. *l. 54. de leg. 2. Sneid. d. loc. n. 21. & 22.* ex quo fundo alius qui prædia distantia habet, eam utilitatem percipere non potest. Quicquid autem Dd. dicant, eam divisionem cum *Caballin. tract. de eo quod Interest. n. 16. Emil. Ferret. ad d. l. un.* in Interesse propriè dicto omninò rejiciendam esse existimo: Nullum enim est Interesse commune, quia
commu-

commune illud dicitur, quod etiam aliorum est, quisque autem
petit quod sibi abest, non quod alii. *Donell. 26. comm. c. 15.* & licet
æstimatio ejus communiter sit, neque tamen interesse propterea
commune erit, quia aliud est Interesse, aliud æstimatio ejus. *Bocer.
cl. 6. d. 29. §. 14.* aut omne interesse commune erit, quia res omnes
communiter æstimari solent ac debent *l. 63. ad L. Falcid. l. 33. ff. ad L.
Aq. sive autem utilitas illa communiter & frequentius, sive ex cau-
sis rariùs & singulariter decedat, semper singulare Interesse ipsius
est, qui damnum passus est, & ab eo specialiter & particulariter ex
causis suis & circumstantiis particularibus probandum. *Caballin.
d. tr. n. 17.* unde etiam sæpissimè in Jure, quando ejus quod interest
mentio fit, adjicitur particula distributiva **UNIUSCUIUSQUE.**
l. 21. §. 7. de oper. Nov. nunc. l. 3. §. 9. de sepulch. viol. Neque etiam ap-
pellatio Interesse conventi magis Juri nostro cognita est, quocun-
que enim modo illud interpretamur, aliud semper sibi nomen for-
tietur, aut enim verum rei pretium erit, aut pœna dicitur, quæ in
stipulatione pœnali, obligationibus faciendi ut plurimum subji-
citur, nec ullo modo Interesse propriè dicti appellatione veniet, non
illo, quia pretium rei & Interesse differunt. *l. 60. & l. 70. ff. de evict.*
neque magis hoc modo pœna conventa Interesse dici poterit, quia
pœna consideratur tanquam diversum ab Interesse, si enim æqua-
lia sunt alterum ex his duntaxat peti potest, nempe pœna, Interesse
autem cessat, si verò inæqualia & pœnam promissam Interesse ex-
cedat, utrumque petitur, ita ut illud quod plus in altero est conse-
quamur. *l. 41. 42. pro soc. l. 28. de act. empt.* quid, quod illa debeatur,
etiam si nostra nihil intersit, sed tantum quia promissa est, remotâ
omni quæstione, an intersit. *l. 38. §. 17. de V. O. eademq; certa est, huius
autem quantitas semper incerta. §. ult. Inst. de V. O.* Porro nec **IN-
TERESSE SINGULARE,** quod ex privata cujusque æsti-
mari dicunt affectione, hic attenditur, sive illa affectio cum ali-
qua utilitate conjuncta sit, sive sola consideretur: nihil enim ex af-
fectione alicujus singulari, sed ex rei familiaris detrimento æstima-
tur, neque etiam æstimatio utilitatis amissæ propter conjunctâ affe-
ctionem augetur. *l. 33. ad L. Aq. l. 63. ad L. Falcid.* quod etiam omninò ef-
flagitat *d. l. un. C. de sent. que pro eo quod & c.* quæ ejus tantum ratione
in taxatione Interesse haberi vult, **QUANTUM REVERA
DAMNUM INDUCITUR.** *Vmm. diss. ad process. 21. num. 58.*
Nec obstant exempla supra ex *l. 39. de Minor. l. 4. Mand. l. 7. de serv.
export.**

export. l. 36. de bon. libert. adducta, in quibus affectus rationem haberi dicitur; generaliter enim dicendum est, illam affectionem, cujus ibi fit mentio, tantum ad actionem valere, quæ alias non competeret, non autem ut propter eam res pluris æstimeretur *Donell. 26. comm. 15. e. Vmm. d. loc.* Multo minus hanc Dd. distinctionem sustinere valet, quod *Bach. 2. d. 23. lit. b. tradit*, ubi eos laudat, qui interesse unicum statuunt, sed quod tripliciter æstimeretur, communiter, ex conventionem, & singulari affectionem, præter hoc enim quod æstimatio seu rei pretium, non sit interesse, sed ab eo ut supra rectè distinguitur, omnino etiam negandum est, triplex esse rei pretium seu æstimationem triplicem, sed unica tantum *d. l. 63. ad L. Falcid.* quæ variatur secundum plus & minus, quæ non faciunt diversas species *Æmil. Ferret. ad d. l. un.*

(b) Non magis Dd. in hac divisione, quam in præcedente inter se conveniunt, alii enim aliter membra divisa describunt, ut videre est apud *Cynum ad l. un. C. de sent. quæ pro eo quod inter gloss. in l. vendita 8. de evict. & in d. l. un. Bart. ibid. nu. 13. & seqq.* ubi **INTRINSECUM** appellat æstimationem rei & quod ex ipsa re immediate est, veluti fructus & partus. **EXTRINSECUM** verò quod occasione rei venit, non ex ipsa re, & hoc rursus duplex facit, aut enim, inquit, sequitur rem quocumque vadat, ut hereditas servo delata. *l. 21. ff. ad L. Aquil. l. 8. ff. de evict.* aut eam hoc modo non comitatur, circa quod rursus variè distinguit, quæ distinctiones cum magis ingenia discentium obruant, quam lucem aliquam circa hanc materiam iis afferant, in medio eas merito relinquo & ipsam hanc divisionem tanquam legibus incognitam, ac Juris principiis incongruam omnino rejicio: præterquam enim quod sine lege à gl. & Dd. conficta, voces illæ omnino barbaræ sunt. *Bocer. cl. 6. d. 29. th. 16.* & quod Intrinsecum interesse ipsam rem constituunt, ratione etiam non nititur: siquidem id quod interest ipsius rei accessio sit, & circa rem consistat *l. 21. §. 3. de act. empt.* ut cum ipsa re idem esse non possit, quod & *l. 193. de V. S.* evincit. Deinde etiam Jura nostra inter id quod interest & rei fructus exactè distinguunt, imò & fructus ex ipsa re proveniunt, nec non nisi largè loquendo Interesse dici possunt. *Vmm. d. disp. num. 59. vide Caball. d. tract. nu. 11. & 13.* aliæ Dd. divisiones, quas gloss. Bart. & alii recensent, non meliore loco, quam prædictæ, imò deteriore habendæ sunt.

(c.) *Donell. 26. comm. is. Arnold. de Reyger process. Iudic. disp. 9. §. 53.* quos *Coll. Arg.* dum divisionem omittit, secutum esse videtur,

B

nisi

nisi dicere velimus, illud eam tacite in *l. 15. de re iudic.* ubi de causa materiali Interesse tractat, proposuisse.

(d.) Hanc divisionem essentialem & materialem vocat *Ca- ballin. d. tract. n. 12.* eandem etiam agnoscit *Boer.* quæ expressis quo- que Juris textibus non destituitur. *l. 13. rem rat. haber. t. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest.* ibi: & hoc non solum in lucro, sed etiam in damno. *l. 2. §. ult. de eo quod cert. loc.* quæ species ut eò rectius intelli- gantur, eas ita describere placet: INTERESSE DAMNI AC- CEPTI est utilitas, quæ actori per deminutionem patrimonii ab- est: e gr. si animal occisum & subreptum sit, quod actor sub pœna præstandum promisit, quam pœnam ex suo jam patrimonio præ- stare cogitur. *l. 22. pr. ad L. Aquil. l. 71. §. 1. de furt.* si unus ex servis Co- mædis aut symphoniæ sit occisus, quantum deprecia fuerint cæteri: Interesse damni accepti erit. *§. 20. Inst. ad L. Aquil. l. 22. §. 1. ff. eod.* si quis vi de fundo dejectus, fruges ex eo non potuerit colligere, sed easdem ab aliis majori pretio comparare necesse habuerit. *l. 1. §. 41. de vi & vi arm.* INTERESSE AUTEM LUCRI CES- SANTIS est utilitas, quam consequi potuit actor solius rei de qua agitur interventu, v. c. pretium rei quod hodiè plus est quam eo tempore quo præstari debuit *l. 21. §. 3. de act. empt.* item merces locationis ex domo, quam actor propter emigrationem inquil- norum ex justo metu ruinæ vicinarum ædium, percipere non po- tuit *l. 28. & seqq. de damn. infect.* similiter reditus amissus, ob demo- litionem idonei parietis à vicino factam, restituendi sunt, *l. 37. ff. d. e.* eodem etiam loco habetur hereditas seruo relicta, qui occisus vel surreptus est. *l. 23. pr. ad L. Aquil. l. 6. de vi & vi arm.* vel etiam evictus. *l. 8. de evict.*

VI.

Veniunt nunc cause explicande, inter quas prima est cau- sa efficiens, quæ vel est remota vel propinqua: Remota est ipsa æquitas naturalis (a.) Causa efficiens propinqua est mora (b.) vel factum (c.) adversarij. (d.)

(a.) Quæ cum alterius damno quicquid fieri vetat. *l. 10. §. 1. de iust. & iur. §. fin. Inst. eod.* quam etiam jus divinum approbat *Exod. 22. v. 5.* quæ moti sacrarum LL. Antistites, omne damnum injuria datum vel lucrum etiam interceptum, saluberrimis suis edictis re- sarciri præceperunt. *l. 11. pr. ad SC. Treb. l. 15. §. 7. quod vi aut clam. l. 2. §. 10. &*

§. 10. & 11. ne quid in loc. public. t. t. ad L. Aquil. unde nec à principe illud remitti posse rectè statuit *Rebuff. in declar. arbor. supr. Interesse per l. 2. in fin. C. de in jus voc.*

(b.) *l. 8. de eo quod cert. loc. C. A. de re Iudic. d. 14. Vmm. d. disput. num. 61.* est autem MORA frustratoria solvendi recipiendive debiti dilatio. *arg. l. 37. Mand. l. 21. 22. & 23. de usur. quæ facit ut regulariter ex omni obligatione, morâ commissâ interesse peti possit: quod in obligationibus faciendi expeditum est. §. ult. Instet. de V. obl. l. 68. & 81. ff. eod. etiam in stricti Juris contractibus. l. 13. §. 1. de re jud. quia in faciendi obligationibus reus vel ipsum factum, vel Interesse præstationem promittere videtur. l. 72. pr. l. 81. l. 112. §. 1. de V. O. Idem in obligationibus dandi ex bonæ fidei contractibus. l. 60. pr. l. 13. §. 20. de act. empt. Quod & in stricti Juris judiciis asseri debere firmiter statuo, tam propter l. 114. & l. 118. §. 2. de V. O. quam propter generalem rationem supra hâc *th. lit. a. in pr.* assignatam: *Caspar Caballin. d. tr. n. 205. & seqq.* mora enim facit, ut rei debitæ accedat id, quod creditoris fuisset si mora non fuisset facta. *Gædd. de contrahen. & committ. stipul. c. 11. concl. 8. n. 116.* Quamvis id omninò neget *Bald. in d. l. un. C. de sent. qua pro eo quod inter. Vmm. d. 21. num. 62.* in his obligationibus demùm post litem contestatam Interesse rationem haberi putat: *arg. l. 38. §. 7. de usur. l. 78. §. 1. de V. O.**

(c.) Quod regulariter vel est injustum: culpâ aut dolo adversarii commissum. *Bart. ad d. l. un. n. 9.* veluti quod nobis possessionem rei nostræ quietam non reliquerit. *l. pen. §. ult. uti possid.* quod nos in possessionem bonorum à prætore missos venire prohibuerit. *l. 1. §. 5. ne vis fiat ei.* quod nos de possessione rei nostræ dejecerit. *l. 1. §. 41. de vi & vi armat.* quod rem nostram surripuerit. *l. 67 §. 1. de furt.* quod in re nostra damnum dederit. *§. 10. Inst. ad L. Aquil. l. 21. §. ult. eod. C. A. de re Iudic. th. 14.* vel aliquando ob factum non injustum, quando videlicet nihil tale quidpiam reo imputari potest, & sine ipsius culpa aut dolo aliquid fit, cujus respectu ad interesse tenetur, quando nempe res emptori bonâ fide empta ac vendita evincatur, tunc enim venditor ad id quod interest, rem evictam non esse, emptori tenetur. *l. 8. l. 60. & 70. ff. l. 25. C. de evict.* quo casu nihil est, in quo injustè vel cessasse, vel fecisse videri queat venditor. *Vmm. d. disp. nu. 61. dissent. Emil. Ferret. ad d. l. un. nu. ult.* ubi negat ex mora & facto nasci interesse, sed propter utilitatem & æquitatem illud deberi ait.

B 2

(d.) Nam

(d.) Nam si nihil sit quod adversario imputari queat, ut maximè actori utilitas quædam abscedat, ejus tamen ratio non habebitur. *Vmm d. loc.* ideoq; omne illud damnum sine culpâ vel factò adversarii datum, in petitionem interesse nõ venit, nullaq; ejus ratio habetur. *Caballin. d. tract. n. 11.* quapropter si servi emptoris fame necati fuerint. ob non traditum à venditore triticum, pretium servorum necatorum emptori non debetur. *l. 21 §. 3. de act. empt.* quia hoc damnum non ex eo est, quod emptor tritico venditoris, sed quod generaliter Tritico caruerit, atque ita magis emptoris inopiæ, quam venditoris moræ adscribendum. *Donell. 26. comm. c. 23. l. b.*

V I I.

Materia Interesse est damnum emergens & lucrum cessans (a.) i. e. omnis utilitas quæ circa rem ipsam, quæ præstanda consistit. (b.)

(a.) Cujus exempla supra ex *th. s. lit. d.* huc repetenda sunt, ex quibus apparet non tam damni, quam etiam lucri habendam rationem. *l. un. C. de sent. quæ pro eo quod inter.* Lucrum autem debet esse justum, quod quis jure ex re sua, vel aliena domini permisso, facere potuit, non igitur in computationem Interesse venit. I. Lucrum quod quis mero beneficio ipsius adversarii, qui nunc illud intercipit, antea habuit, hoc enim uti tam diu licet, quam diu is, à quo provenit, patitur. *l. 26. de damn. infect.* II Immodicæ perversiones & machinationes quælibet. *Cujac. τ. C. de eo quod interest ad sepè d. l. un.*

(b.) Ejusq; etiam solius rei interventu, non aliunde haberi potest. *supra h. s.* Removetur igitur hic, si quid certò quidem haberi potuit, ex eo factò quod fieri debuit, potuit tamen idem quoque aliunde haberi: e. g. si emptor ex vino empto negociari potuit, & multum lucrari, lucrum illud in computationem Interesse haut veniet. *l. 21. §. 3. de act. empt.* quia hæc utilitas non ex re, sed ex negotiatione & opera mercatoris provenit, de quo lucro forsan sensisse videri potest. *Gail. 2. obs. 6. n. 2.* ubi lucri cessantis in Camera non haberi rationem ait, & ad hanc rem aliquot præjudicia allegat. quapropter etiam emptor in pretio solvendo moram faciens, venditori non tenetur ad omne illud lucrum, quod is ex mercibus pretio soluto emptis consequi potuisset, licet mercari fuerit solitus.

l. fin. de

l. fin. de peric. & comm. rei vend. quasi ob moram commissam usurae
 sufficerent, quemadmodum in omnibus iis casibus, ubi nummi in
 obligatione sunt, neq; ad interesse deveniendum, quia pecunia nu-
 merata certam semper habet aestimationem. Nisi pecunia certo die
 vel loco solvenda fuisset *l. 3. de in lit. jur. l. 2. §. ult. de eo quod cert. loc.* ex
 adiectione enim loci, vel temporis apparet, in ea obligatione &
 utilitatem loci & temporis spectatam esse, quæ videlicet eo tempo-
 re vel loco acquiri potuit. *Donell. comm. 26 cap. 23.* quam utilitatem,
 mercatores præcipue spectant, quoniam merces, alio loco vilius,
 alibi carius venduntur, ac emuntur, precia enim rerum secundum
 varia loca variant, nec tamen eo casu aestimantur quælibet utilita-
 tes extra rem, sed tantum quæ eo loco, vel tempore acquiri potue-
 runt. *l. 4. de eo quod cert. loc.* idemque obtinet in adiectione certæ ali-
 cuius personæ. *l. 118. §. fin. de V. O. Donell. d. loc.* Hodiè tamen etiam
 in contractibus stricti Juris ex mutuo sc. à tempore moræ quinque
 annua pro interesse, sine ulla vel damni vel lucri cessantis probatio-
 ne exigere licet. *Reichs Absch. des Deputations tags zu Speier*
Anno 1600. sub fin. §. Soviel nun diesem nach/ quia quilibet pater-
 familias non otiosam pecuniam habiturus, sed eam recepto more,
 quinque annuis in singula centena elocaturus præsumitur: si verò
 creditor quinque istis noluerit esse contentus, contra debitorem
 suum Interesse quantumcunque, deducere & probare ei licet: *d. §.*
Soviel nun diesem nach/ ic. oder aber da dem creditori solche §. gl. ic.

Removetur etiam omnis adventitia & incerta utilitas, quæ
 ex ea re haberi consuevit, potuit tamen etiam non haberi, e. g. retia
 ad pisces capiendos disposita fracta sunt, retium fit aestimatio non
 piscium non captorum, quia incertum an caperentur. *l. 29. §. 3. ad L.*
Aquil. casus enim adventitii computandi non sunt. *l. 6. ff. qui & à*
quibus Cuiac. in w. C. de sent. quæ pro eo quod interest. eodem modo nec
 vani de damno timoris habetur ratio. *l. 13. ff. de re judic. l. 184. de reg.*
Iur. Nullo etiam modo præsumpta aliqua utilitas in considera-
 tionem venit, qualis est ea, cum videlicet propter dolum & contu-
 maciam alterius in litem juratur. *l. 2 §. 1. de in lit. jur.* illud enim In-
 teresse ab hoc nostro multum differt, quia illud non tam propter
 lucrum cessans aut damnum emergens, quàm propter privatam
 actoris affectionem, propter quam res in pœnam contumaciæ, tan-
 quam pluris esset, & pluris etiam actoris interesset, ita aestimari per-
 mittitur, ac verum etiam rei pretium excedere potest. *l. 1. de in lit. jur.*

hoc nostrum interesse non item, in quo id quod revera damnum datum, verè & ex communi iudicio æstimatur. l. 33. ad L. Aquil. l. 63. ad L. falcid. Donell. 26. comm. c. 15.

VIII.

Formam Interesse, ipsa quantitas, quæ quantum cuiusque intersit definit, constituere solet, quæ cum in facto magis quam jure consistat, ideoque nulla constitutione neque Juris authorum decisione definiri potuit, sed incertum est.

l. 24. de Reg. Iur. l. 68. de verb. obl. §. ult. Instit. eod. l. ult. si quis in jus vocatus. quemadmodum in simili de mora & aliis quæ in facto consistunt pronunciat J. C. l. 32. de usur. ac propterea semper in iis casibus arbitrio Judicis opus est, ut is æstimet ac definiat quantum cuiusque intersit, ejus enim rei gratia, ut quod incertum est determinetur, itur ad iudicem, cujus officium maximè circa quæstionem facti occupatum est. Bach. 2. d. 23. §. 4. lit. a. qui interdum pro facti varietate, variè etiam id quod interest taxat, ita ut modo majoris, modo minoris, quam ipsa res, modo etiam par sit utilitas. l. 13. pr. de re iudic. l. 9. §. fin. ad exhib. l. 112. §. 1. de V. O. l. 6. de vi & vi armat. C. A. de re iudic. §. 17. hæcque ipsa forma Interesse à re principali, ejusque æstimatione distinguitur, nec non etiam ab usuris quæ certam & definitam à ll. habent quantitatem. l. eos. 26. C. de usur. quæ tamen etiam aliâ ratione ab interesse secerni possunt, quod nempe usuræ semper propter solam moram non solventium infligantur, hoc autem propter damnum datum vel lucrum interceptum. Quæ incertitudo etiam Interesse propriè dictum à pœna conventionali, quando nempe certa quantitas loco ejus quod Interest promittitur, secernit, quam pœnam Dd. Interesse conventum, sed perperam appellant: vide supra th. 4. Quantum autem pœnæ loco stipulari liceat inter Dd. controversatur. Accurs. in l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest usque ad quadruplum pœnas conventionales extendit. Caspar Caballin. sæpè cit. tract. n. 159. & seqq. duplum excedi non posse contendit per d. l. un. ibi: eas tantummodo pœnas exigi, quæ cum competenti moderamine proferuntur: alii operosis ac variis distinctionibus hanc quæstionem magis involvunt, quàm evolvunt, ut videre est apud Menoch. de arbitr. Iudic. quæst. c. 26. Verior igitur est sententia eorum, qui certum modum pœnis istis conventionali-
libus

libus statutum esse negant, & tantum pœnæ nōmine exigi posse dicant, quantum in stipulationem deductum est, alia enim est ratio pœnarum legalium, quàm conventionalium, hæ enim ex arbitrio promittentis, adeoque voluntate ipsius, illæ non item, sed invitis infliguntur. *Cyn. ad d. l. un. num. 6.* in quibus etiam non tam inspicitur quid inter sit, quàm quæ sit quantitas stipulationis. *l. 38. §. 17. de V. O. §. ult. Inst. eod. Donell. 26. comm. c. 24. Bach. 2. d. 23. §. 4. lit. b. in fin. & lit. f. Fachin. 1. contr. 50. Vmm. d. disp. 21. n. 58.* Nisi talis pœna in fraudem usurarum sit adjecta. *l. 13. §. 26. de act. empt.* vel etiam talis sit causa ex qua revera apparet, nec stipulantis, nec cujusquam alterius tanti interesse, quanti pœna promissa sit, ut si res in quam affectio nulla cadit, aut talis quam quilibet eodem modo ac pretio habere posset. *Donell. d. c. 24.* hinc etiam omnes istæ stipulationes, in contractu vel obligatione quantitatis, in fraudem legitimarum usurarum adjectæ, rejiciuntur, ac pro vitiosis ac nullis habentur, tanquam contractus usurarii. *Reichs Absch. de anno 1548. von wucherlichen Contracten.*

I X.

Quam incertitudinem Imper. Justin. in tantum, quantum possibile erat, sustulit (a.) ac ei quod interest certum modum usque ad quem taxari possit, præfixit, ut videlicet in casibus certis (b.) non nisi usque ad duplum (c.) in incertis autem casibus (d.) tantum, quantum revera damnum datum est, quantumque verè lucrari potuit, actori interesse nomine consequi liceat. (e.)

(a.) per *l. un. C. de eo quod interest* quâ dubitationum antiquarum, quæ in infinitum productæ erant prolixitatem, pro ut possibile erat in angustum coarctavit *pr. d. l. un.*

(b.) Per casus Imperator non intelligit omnes contractus vel quælibet facta seu negocia, ex quibus obligationes oriuntur in genere, vel aliquos certos nudos contractus in specie, nec res in obligationem deductas, sed negotium vel factum cum sua circumstantia ex quo oritur obligatio ad interesse, quod ipsa phrasis & inscriptio hujus legis luculenter probat, agit enim de sententiis quæ pro eo quod interest; i. e. super tali casu, vel facto, ex quo ad interesse agitur, vel ex quo obligatio ad interesse producitur; proferuntur,

tur,

16.
tur, ut latè hoc exsequitur ac demonstrat *Caballin. d. tract. n. 3. 21. &*
41. Casus autem certi dicuntur, qui certam habent quantitatem vel
naturam: i. e. qui habent objectum seu principale debitum certæ
quantitatis vel naturæ: per certam quantitatem, certam pecuniæ
summam, vel etiam alias res frugibiles, quæ pondere, numero, &
mensura constant intelligo: Res verò certæ naturæ est, res certos
fines habens, ita ut saltem civiliter vel totum, integrum & certum
dici possit; quodque certam ac facilem recipit æstimationem, quæ
simplum aliquod constituit. *Caball. d. nu. 43. Donell 26. comment. c. 17.*
Exemplificat hoc Imper. in emptione, venditione, locatione, &
conductione, quia in iis certa res continetur, pretium sc. certum, &
plerumque res quoque certa, quæ principaliter spectatur, item in
locatione merces certa, quæ usus rei operæve præbita æstimatur:
licet igitur venditio & locatio factum contineant, illud tamen ab
initio certum est ac limitatum, ipsâ sc. contrahentiû conventionem,
pretio nimirum vel mercede certâ constitutâ, adeoq; merito inter
casus certos numeratur. *Donell. 26. comm. c. 19.* quod etiam in reliquis
contractibus est, si sc: in iis certum debetur, atque ex iis agitur, ut
res certa præstetur. Quod fit quoties ab initio factum per se cer-
tum est, quod tamen non semper, propter certam adjunctam mer-
cedem, vel etiam correlativam obligationem certam, ita æstiman-
dum est.

(c.) Ne pœna plus justò culpam excedat. *d. l. un. quod olim*
& Jure ff. secus erat. DUPLUM autem est simpli ejus quod in
obligationem deductum est, & hanc dupli quantitatem excedere
vetat: h. e. re principali altero tanto amplius esse non potest, ita ut
huic duplo simplum rei insit, *Borcholt. de V. O. n. 152 Cujac. w. C. ad d. l.*
un. Simplum autem est casus de quo agitur, sive res ipsa de qua agi-
tur, aut pretiû ipsius. *Borcholt. d. loc. l. 43. S. ult. cum l. seq. de act. empt.*
Quomodo autem illud æstimari debeat hic quæritur: quod distin-
ctione expeditur, aut enim res ab ipsis partibus æstimata est. & tunc
eadem æstimatio servari debet, ac id quod interest ad pretii quanti-
tatem referendum: non verò ipsius rei in obligatione contentæ
æstimationem, quamvis illa major esse possit, spectatur enim ma-
gis, quid convenerit, quam quid in re sit. *arg. l. 53. pr. de evid. Donell.*
26. comm. c. 20. v. c. in venditione, si venditor in re tradenda moram
fecerit, quò minus rem tradat, & agat emptor ex empto quanti sua
interest rem habere, pretium consequetur quanti rem emit, si id
prænu-

prænumeraverit, & quanto pluri ea res hodie est, *l. sterilis 21. §. cum*
per venditorem. 3. de act. empti modo duplum non excedat. Veluti si
 res empta sit X. quæ hodie digna sit 25. emptor non consequetur
 ultra 20. nempe X. pretii nomine, quæ numeravit, & alia decem
 nomine ejus quod interest, supra pretium quo res venit, *Cujac. w.*
ad d. l. un. Idem obtinet in læsione ultra dimidium, sive venditor rem
 quæ postea evicta est plus justo vendidit, sive emptor vilissimo pre-
 tio emit. *Caball. de tract. nu. 70.* Jura enim deceptis non decipienti-
 bus subveniunt. *l. 2. §. 3. ad SC. Vell.* nec quempiam dolus suus rele-
 vare debet. *l. 23. §. 7. pro soc.* & is qui propriam allegat turpitudinem
 audiendus non est. *l. 30. C. de transact. l. 4. C. de Revoc. donat.* quæ hic
 de venditione dicta sunt eadem in locatione obtinere debent, ut
 enim in emptione & venditione pretium est certum, ita in locatio-
 ne & conductione certa merces, uterque etiam contractus iisdem
 juris regulis continetur. *l. 2. pr. loc. & cond. pr. Instit. eod.* Atque
 hoc modo duplum taxari debet, quando rei certæ in obligatione
 contentæ æstimatio ab ipsis partibus definita est. Si verò res ab
 ipsis partibus æstimata non est, veluti in permutatione, simplum
 est communis rei æstimatio. *l. 63. ad L. Falcid. l. 33. ad L. Aquil.* ad quod
 autem tempus simpli æstimatio referenda, majorem habere vide-
 tur difficultatem. Nos cum *Caballin in tract. suo nu. 71.* eam referi-
 mus ad tempus contractus. *l. 62. in fin. de Jur. dot.* cum enim simplum
 nihil aliud sit, quam illa certa quantitas, vel natura in obligatio-
 nem principalẽ deducta, non potest alia certitudo inveniri, quam
 quæ est per respectum & relationem ad tempus contractæ obliga-
 tionis principalis. *Caball. d. loc.* Nisi fortè in diem sub conditione
 obligatio contracta sit, tum enim tempus diei, vel conditionis exi-
 stentis inspicere debet, quia res antequam efficaciter debeat peti
 non potest. *l. 59. de V. O.* Atque hæc ita obtinent in casibus certis, cir-
 ca quæ tamen probè notandum, certum illud semper circa eandem
 rem versari debere, nec aliud specificum objectum respicere, quod
 fit sc. quoties ex empto, aliorum nomine quæ reus vel expressè
 vel tacitè in se recepit, nec præstita ab eo sunt, agitur, veluti dolum
 malum abesse abfuturumque esse. *l. 6. §. pen. de act. empt.* quod quan-
 ti sit planè incertum est, ideoque etiam venditor ultra duplum rei
 venditæ damnari potest, ut puta si sciens rem vitiosam vendiderit,
 nõ enim tantum ad duplum ejus rei tenetur, sed ad omne damnum
 ejus rei vitio illatum resarciendum. *l. 13. de act. empt.* tale etiam spe-

C

cificum

cificum objectum est, in venditione aut locatione doliorum vel vasorum, quæ si integra non fuerint, & vinum infusum effluxerit, siue ignoravit vitium venditor siue scivit, nihilominus tenetur ad æstimationem ejus quod effusum est. *l. 19 §. 1 loc. l. 6 §. 4 de act. empt.* quamvis enim ibi certum aliquod æstimabile corpus est in obligatione, quod certam habet naturam, tamen quoniã vascularii culpa, obligationẽ Interesse hoc casu producens, non respicit, ipsum solũ corpus principaliter in dispositionem deductũ, sed aliud specificum objectum, periculum, sc. liquoris infundendi, quod vascularius in se suscepisse creditur, tacitẽ enim & ipso facto, ac ex professo affirmat, vasa ad usum, ad quem prostant vel elocantur, idonea & integra esse, quæ si non ita sint, tenetur ad damnum suã culpã (quam tanquam peritus in arte sua præstare debet. *l. 9 §. 5. locat. l. 8. in fin. ad L. Aquil.*) illatum *Caball. d. tract. nu. 48. & 49. & seqq.* quotiescunque igitur tale quid accidit, in quo aliud quid præter ipsam rem principalem spectatur, casus est incertus. *Caball. d. loc. & ad secundam hujus l. partem, ubi de casibus incertis agitur pertinet.*

Ex quibus cum jam pateat in casibus certis excedi duplum haut deberi: non inconcinne quæri potest, ad quam usque summam quincunces usuras quæ loco interesse annuatim conceduntur dict. *deputationis Absch.* hodiẽ exigere liceat? an ad alterum tantum duntaxat, ad instar usurarum, an verò in infinitum tamdiu, quamdiu fors principalis non fuerit exsoluta? in qua admodum controversa quæstione, illorum sententiam amplectendam puto, qui prius membrum affirmant, tum quod interesse illud taxatum, siue quinquæ ista annua nihil aliud sint quam usuræ, atq; propter rationem interesse permissæ, multum tamen ab interesse de quo nobis sermo quod nempe incertum est, differunt, ut ex ipso allegato. Recessu deputat in fine facile apparet, ubi usuræ in casu moræ assimilantur ei quod interest, nec propterea toto genere eidem exæquata cense-ri debet, idẽ etiã supra duplum soluta meritò cessant, nec amplius quid exigi potest. textus expressus. *in Nov. 121. c. 1. & 2. Novell. 138. & 160.* qui textus adẽ clari sunt, ut nulli unquam dubitationi locus sit relinquendus, pro qua opinione vide *Garpzov. pract. crim. part. 2. q. 92 n. 42.* & multos allegatos apud *Berlich. 2. concl. pract. 38. n. 36.* quã multi sint qui opinionẽ hanc in nostro Romano Imperio præticari negant, & textus illos in desuetudinẽ abiisse contendant, ac consuetudine contrariũ observari testentur: quos vide apud eundẽ

Berlich.

Berlich. d. concl. nu. 37. sequendum tamen magis id quod optimum, non quod usitatissimum, quemadmodum in contrario fieri solet, de quo justè conqueritur, & hanc ipsam pestem studiorum ex animo detestatur Doctissimus Franzkius in epist. dedicat. exercit. *Juridic.* quæ sententia tamen præter alias & hanc notabilem patitur limitationem, nisi debitor multoties à creditore tam extra quam in judicio interpellatus, morâ nihilominus nexuerit, ac solvere cessaverit, ut habent verba sententiæ apud *Berlich. 2. concl. 38. n. ult. v. præsertim ibi: auff vielfältiges Gerichtliches vnd auffer Gerichtliches anhalten.*

(d.) Casus incerti sunt, qui certam quantitatem vel naturam non habent: *arg. à contrario pr. Inst. de his qui sui vel alien. Iur. ut sunt in omnibus faciendi obligationibus. l. 75. §. 7. l. 68. in fin. de V. O. §. ult. Inst. cod. l. 13. §. 1. de re Judic. & his in quibus factum indeterminatum continetur, qualis est obligatio Mandati l. 8. §. 6. Mand. Tutelæ l. 1. pr. tutel. & rat. distrab. Negotiorum gestorum. l. 2. de Negot. gest. sub quorum censum etiam referuntur omnia ferè Interdicta, ex quibus agimus contra eum, qui nobis possessionis controversiam facit, exempla obvia sunt in l. pen. §. ult. uti possid. l. 15. §. 7. quod vi aut clam. item omnes obligationes, ex maleficiis, ex quibus in id quanti ea res est actio datur. l. 21. §. ult. cum l. seq. ad L. Aq. l. 6. de vi arm. l. 48. §. 1. ff. de furt. Donell. 26. comm. c. 18. Præterea etiam eæ obligationes, quæ præter rem principalem, quæ in obligatione est, aliud specificum quoddam objectum respiciunt: de quibus supra *lit. e. Coll. Arg. de re Judic. §. 15. Don. d. loc. Bachov. 2. disput. 23. §. 4. lit. h. Borcholt. de V. O. c. 7. n. 167. Caballin. d. tract. n. §. 46. 49. 181. 183.* ubi plura exempla casuum incertorum refert.*

(e.) *l. un. de sent. quæ pro eo quod Inter. l. 3. in fin. de eo quod cert. loc.* quia in istis casibus incertis, nihil aliud in obligatione est quam id quod interest, illud autem, aut nihil præstandum. *Donell. 26. comm. c. 21.* nec in his casibus dupli ratio haberi potest, quia non est simplicum, cujus intuitu duplum constitui possit. *Donell. d. loc. c. 18. & 21.* propter ipsiusmet rei quæ petitur incertitudinem, ideoque etiam incertæ ac infinitæ rei, nulla alia quam infinita regula potuit constitui, relinquenda est igitur hujus taxatio arbitrio judicis, ut per suam subtilitatem requirat, & quod revera inducitur damnū hoc reddi jubeat. *d. l. un. Cujac. ꝑ. C. eod. æstimatione ejus ad tempus moræ referenda l. pen. in fin. de cond. Tritic l. 12 §. 1. si quis caut. l. 11 de re Judic. Ampliſſ. Dn. D. Tabor, præceptor, fautor, ac promotor meus æternū ho-*

norandus, amandus, in Coll. Arg. recognito lib. 12. tit. 1. ad θ. 28. ita ut si res post moram commissam, creverit & pluris fuerit, quam ipso tempore moræ, illud etiam in æstimatione attendi debet, & tanti damnandus est morosus debitor, quanti res unquam plurimi fuit post moram commissam. l. 8. §. 1. de cond. furt. l. 3. §. 3. de act. empt. gloss. in l. 11. de Re judic. Cujac. tract. 8. ad African. l. 27. Mand. aded ut si quo tempore res majoris pretii fuerit, à mora contracta, quam tempore æstimationis, id tamen totum debeatur, siquidem appareat actoré id omne habiturum fuisse, si mora non intervenisset. Vmm. d. 21. nu. 69. Menoch. 2. de arbitr. Iudic. quest. cas. 119. n. 17. ubi inquit non primi saltem anni, sed indistinctè etiam sequentium annorum, in interesse taxando atque æstimando, rationem habendam esse donec & usque quo mora commissam non purgatur: An verò etiam Interesse alterius Interesse quis petere possit? Affirmat hoc Menoch. cum multis ab eo citatis. c. 119. nu. 18. quem sequitur Berlich. 2. pract. concl. n. 33. sed cum ista opinio sanctioni Justinianæ contravenire magis quam congruere videtur, expressis enim verbis habetur, ne id quod interest ex quibusdam machinationibus, & immodicis perversionibus, in circuitus inextricabiles redigatur, hi etiam nullum aliud suæ assertionis fundamentum habent, quam quod decurso primo anno statim illud interesse capitale effectum sit, quod tamen non usquequaq; verum, Interesse solo anni lapsu in causam capitalem converti, ne dicam quod talis anatocismus omnino prohibitus sit. l. fin. C. de usur. ided negativæ tutiori subscribendum existimo, cum enim Interesse vicè pœnæ obtineat, pœnam pœnæ præstare omnino iniquum videtur. Bach. 2. d. 3. θ. 5. lit. a. quid quod ipsum sit accessio, accessionis autè accessio esse non potest. l. 15. ff. de usur. Vmm. d. 21. n. 69. Caball. supra alleg. tract. n. 216. & hanc opinionem tuentur plures relati à Menoch. & Berlich. supra alleg. locis. In ipsius autem Interesse taxatione Judex animum suum attendere non debet, commentitiis, vanis aut longius accersitis, & excogitatis causis, articulis, allegationibus partium. Cujac. w. C. d. loc. vide supra θ. 7. lit. b. sed tantum condemnare debet, quantum actor liquidaverit: Interesse enim cum in facto magis quam jure consistat l. 24. de R. I. illud non præsumitur sed necessariò probandum est. § non solum. 7. ibi ac necesse sit auctori probare. Inst. de V. O. quia autem ejus probatio admodum difficilis est. l. ult. ff. de prætor. stipul. ided per conjecturas verisimiles id probare sufficit. de quo vide Menoch. d. cas. 119. n. 3. & 8.

X. Sequitur

X.

Sequitur nunc finis ob quem Interesse introductum, qui est, ne quis per alterius culpam damnum sentiat.

Ipsa enim naturalis æquitas suadet præstari id, quod per alterius culpam quis damnum sensit, vel quod lucro aliàs obventuro privatus est.

XI.

Succedit effectus, qui est iterum vel propinquus vel remotus. Propinquus est ipsa obligatio (a.) Remotus eius quod Interest petitio (b.)

(a.) Oritur hæc obligatio ex mora & facto adversarii, quam naturalis sustinet æquitas, per supra dicta, & legis civilis firmat auctoritas. *l. 2. de eo quod cert. loc. l. 1. de act. empt. l. un. C. de sent. quæ pro eo quod Interest.* ex qua ei cui quid abest licet ad resarciendum illud agere, adversus eum, cujus mora vel facto damnum alteri datum, aut lucrum interceptum est. *C. A. de re Iudic. 0. 16. pr.*

(b.) quomodo autem illa petitio fieri debeat, an per modum actionis, an officio judicis mercenario? non una est Dd sententia. *Treutl. 2. d. 23. 0. 4. lit. b.* Nos totam rem iterum distinguendo determinabimus: aut enim venit Interesse principaliter in obligationem, aut accessoriè. *Vmm. d. 21. ad. process. n 70. C. A. de re Iudic. 0 22.* supra cum honore laudatus *Dn. D Thabor tract. de offic. Iud. sect. 5. c. 1. §. 3.* Si principaliter venit, quod fit quando interesse in locum eius quod principaliter petitur, surrogatur, ut quando res vel factum amplius præstari nequit, vel tempus præterit. *l. 72. in fin. pr. d. l. 91. §. fin. l. 81. pr. de V. O. l. 52. § 28. de furt.* tunc venit jure actionis principalis, *Caballin. tract. de eo quod interest n. 218. Vmm. d. loc.* quando verò accessoriè petitur, quod accidit cum ejus petitio tantum rei principalis, quæ ab Interesse diversa est, petitioni annectitur. *C. A. d. 0. 22.* veluti in *l. fundum. 114. de V. O.* ubi nihilominus fundi traditio peti & exigi potest, licet simul petatur quod interest, moram non esse factam, & tunc non nisi officio Judicis venit, quemadmodum in reliquis actionibus arbitrariis. *l. 2. §. ult. de eo quod cert. loc. & bonæ fidei judiciis* omnes accessiones non sunt in obligatione, quippe cum de iis obligatio non sit concepta, sed demum ex mora vel simili causa debentur, ac propterea non Jure actionis, sed implora-

plorato demum de super officio Judicis præstantur. l. 49. §. fin. de act. empti. l. 4. §. 4. loc. cond. Caball. Vmm. dd. loc. ideoque peti debet dum iudicium principale adhuc durat, alioquin sententiâ à iudice dictâ frustra petitur, cum iudex esse desierit. l. 55. de re iudic. l. 3. C. de furt. & lit. expens. quamvis etiam Iudex reum in præstationem ejus condemnare possit, etiam si ab actore nominatim petum non sit, maxime si libellus clausulam contineat peto mihi jus & justitiam administrari. Mynsing. 4. obs. 55. Dn. D. Tabor supra allegat tract. & loc. de offic. iudicis.

XII.

Occasione præcedentium pauca quadam de officio iudicis circa hanc petitionem delibabimus: Curare igitur debet iudex, ut quamvis de incerta quantitate actum sit (a.) omnino quantum possibile ei sit certa pecunia vel rei sententiam ferat (b.)

(a.) Quemadmodum hic in petitione ejus quod interest fit, adeoque etiam libellus incertus hoc casu sustinetur per tradita à Sneid. ad §. curare. 32. n. 27. & 32. Inst. de act.

(b.) d. §. curare, quia alias controversia non finiretur, sed novo & alio iudicio opus esset, & ita lis ex lite nasceretur. Bach. ad d. §. n. 2. Instit. de act. & sententia quæ sine certa quantitate proferatur non valet, sed ipso jure nulla est. t. t. C. de sent. qua sine certa quanto. dicitur autem certa sententia non tantum illa, quæ sit per designationem rei vel quantitatis, sed etiam quæ per certam relationem ad aliud, v. c. ad aliquod Instrumentum, in quo expressa est res vel quantitas. l. 5. §. 1. ff. de re iudic. Nec cupiam videri debet, quod sententia talis, quæ certam quantitatem continet, cum tamen incertum in libello petum, difformis sit libello, contra. l. fin. C. de fideicom. libert. l. 18. ff. comm. divid. Certum enim & incertum duntaxat sunt qualitates, quæ non efficiunt difformitatem libelli. Myns. ad §. 32. Inst. de act. sed tum demum sententia non est conformis libello, quando extra illud quod petum est condemnatio fit, non cum quod petum est v. c. sine certa quantitate, determinatur. Bach. Inst. d. loc. Iudex autem cum certam summam dicit, non aliam rem dicit, sed eam, quæ petita erat. Donell. ad d. §. 32. num 5. Quid autem si Iudici obscurum sit, quantum revera actoris interest, tunc

fit. tunc ad minorem summam Interesse redigere debet. *l. fin. ff. de præst. stipul.* ne major sit pœna quam culpa, omnis enim culpa siue mora, par odium paremve pœnam, & minorem potius quam majorẽ exigit. *Cujac. w. C. de sent. quæ pro eo quod inter.* semper enim in obscuris quod minimum est sequimur *l. 9. de Reg. Jur.* Neque etiam Judex in faciendi obligationibus debitorem ad factum præcisè, sed in pecuniam numeratam, quanti actor sua Interesse probaverit, condemnare debet. *l. 13. §. 1. de re Judic.* quia ad faciendum quod servile quodammodo est nemo cogi debet. *Duar. add. l. 13. §. 1. de re Judic.* quid quod ipsa contrahentium sententia, id quod interest in obligationem venit, sub tacita hac conditione, si intra tempus quo quid fieri potuit, factum non sit, ut ita illud post moram amplius in obligatione non sit, sed obligatio facti transfunditur in obligationem pecuniæ *Donell. & Duar. ad l. 11. de re Judic. C. A. eod. th. 23. nu. 2.* ac ita post moram potestate Juris inducitur tacita quædam obligatio ad Interesse. *Bach. 2. d. 23. p. 473.* Cætera quæ ad officium Judicis pertinere videntur, ex supra dictis th. 9. peti possunt.

XIII.

Effectum excipiunt contraria. quæ sc. petitionem Interesse impediunt ac cessare faciunt.

Cessat autem interesse petitio & ab ejus præstandi necessitate liberatur reus I. per moræ purgationem, si ante litem contestatam promissioni suæ satisfaciatur. *l. 84. de V. O.* ea tamen re adhuc integrâ fieri debet, i. e. antequam jus creditoris propter moram factum est deterius, & ejus interesse cœperit. *l. 22. de Recept. arbitr. l. 135. §. 2. de V. O.* quomodo autem mora purgetur vide in *Coll. Arg. de usur. th. 54. & 55.* II. quando nihil interest vel interesse definit, ut in casu *l. 8. §. 6. Mand. l. 13. pr. de re Judic. l. 112. §. fin. de V. O.* III. cum nomine ejus quod interest certa pœna promittitur §. ult. de V. O. *l. ult. de stipul.* quia tum id quod Interest non amplius inspicitur. *l. 38. §. 17. de V. O.* nisi plurius alicujus interfuerit. *l. 28. de act. empt.*

XIV.

Affinia sunt Pœna conventionalis (a.) omnes rei principalis accessiones, usure. (b.) id quanti in litem juratum est (c.) fructus rei (d.) Annui redditus. (e.)

(a.) Quam

(a.) Quam vulgo interesse conventum appellant, sed malè
ut supra demonstratum. *th. 5. lit. a.* hæc enim Interesse, quod aliàs
suâ naturâ indefinitum est, quasi circumscriptum & certum facit.
C. A. de re Iudic. th. 16. nu. 2. §. 1.

(b.) *l. 60. pro soc. l. 13. §. 20. de act. empt.* quæ quomodo ab in-
teresse differat vide supra *th. 8.* quibus adde quod illa sit accessio
quantitatis, hæc verò accessio non quantitatis, sed cuiusvis alterius
causæ, sive illud ipsum quod nobis facto alieno abest, quodque
lucrari potuimus.

(c.) Quod plerumque ex affectione privata actoris æsti-
matur.

(d.) Qui denotant omnem utilitatem quam vel ex ipsa re,
vel ejus occasione percipere possumus, *Vinn. d. 21. §. 1.* veluti partus
ancillæ, & similia.

(e.) *Jährliche Zins/ Gültren/ Renten/* qui emptione compa-
rantur, ita ut pro singulis centenis aureis, in annos singulos quin-
que præstentur. & hodiernis nostris moribus passim in & extra Im-
perium frequentantur: de quibus vide integrum tractatum *Roderici.*
Gail. 2. obs. 7. authorem præjudic. Cameralium in voce ANNUI
REDITUS. & hæc de difficili ista materia, non quidem pro
ipsius dignitate, sed ingenii mei tenuitate dicta suf-
ficient. DEO sit Laus honor
& gloria.

F I N I S.



ULB Halle
005 714 745


3



VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO INAUGURALIS 33 790.
JURIDICA

De

1642, 4.

EO QUOD IN-
TEREST.

QVAM

TRIUNO DEO PRÆSIDE

Ex decreto & Auctoritate

NOBILISSIMI ATQUE AMPLISSIMI
Jctorum Ordinis, in celeberrima Argentoratensi
Universitate.

PRO SUMMO IN UTROQUE JURE GRADU DOCTO-
RATUS ritè consequendo

*Publico atque solenni examini exponit.
die Mens. Julij: horis locog₃ solitis.*

HENRICUS Rosbecher /
Spirâ Nemes.



ARGENTORATI

Typis JOANNIS PHILIPPI MÜLBII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M DC XLII.

